

IVDAICO LIBRI PROLOGVS.

reponam, dolori atque affectioni meæ in descendis patriæ cladibus indulgens. Nam quod domesticis dissensionibus est euersa, & in templum sacrosanctum, inuitas Romano-  
rum manus, atq; ignem Iudæorum tyranni traxere, testis est qui cam uastauit, ipse Cæsar Titus: per omne bellum miseratus quidem populum, quod a seditiosis custodiretur: sæpe autem cōsulto differri passus ciuitatis excidium, protracto obsidionis spatio, dumodo belli pœniteret autores. Quod si quis me aduersus tyrannos, eorumq; latrocinium accusatorie loqui putet, uel patriæ miseris ingemetem calumniari præter legem historiæ, dolori ueniam tribuat. Ex omnibus enim, quæ Romano imperio parent, solam nostram ciuitatem contigit ad summum felicitatis gradum procedere, eandemque ad ultimos gradus deponi. Deniq; omnium post condita secula res aduersas, si cum Iudæorum calamitatibus conferantur, superatum iri non ambigo. Et horum autor nullus externus est: unde nec fieri potest, ut a questibus temperetur. Si quis autem durior misericordie sit iudex, res quidem tribuat historiæ, lamenta uero scriptori: quanquam merito Græcorum disertos increpauerim, qui tantis rebus sua memoria gestis, quarum comparatione præterita olim bella exigua demonstrantur, iudices resident aliorum facundiæ detrahentes. Quorum & si doctrinam superant, uoluntate uincuntur. Ipsi uero Assyriorum, & Medorum gesta perscribunt, ueluti minus recte a scriptoribus antiquis fuerint exposita: cum in scribendo tantum eorum uiribus cedant, quantum sententiæ. Erat enim unicuique studium, quæ uidisset facta, conscribere: quoniam & interfuisset rebus gestis, & efficaciter quod promittebat, impleret: mentiriq; apud scientes, inhonestum esse uideretur. Enimuero noua qui-